

omnia maximè sunt positiva, & cujus plura attributa positivè à nobis concipiuntur, licèt negativis exprimantur vocabulis, uti in superioribus est ostensum.

8. His de causis ante aliquot annos in Elementis Philosophiæ §. 262. divisionem entis in simplex & compositum, in quantum illi æquipollet, per quam ens in infinitum & finitum dividitur, sic efferebam: *Ens vel se ipso solo est id quod est, vel per alia est id quod est: illud absolute simplex, hoc compositum est.* Quibus definitionibus affirmatis & absolutis putabam me evitare quæ jam recensui incommoda.

9. Nunc autem re meliùs expensâ, non quidem falsam hanc definitionem asserere possum, ut neque priorem illam negativam falsitatis arguo; sed tamen arbitror esse *nimis generalem*. Non enim nisi confuse & generaliter tantùm explicari videtur simplicitas divina, si dicatur, Deum per hoc attributum habere, quòd *seipso solo sit id quod est*, alia verò omnia, quæ præter Deum sunt, *per alia esse id quod sunt*, quoniam illæ definitiones æquè commodè ad independentiam & dependentiam & alia fortè attributa describenda applicari possunt.

Q 4

10. Ad